

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 73. (Neovidensis 1807. Nro. 70.)

Sermo Politicus.

De politicis minorum Statuum adjunctis.

Elysium-Meum.-Die Veneris 11. Septemb. (Neovid. 28 Aug. 1807.)

Sententia:

Status minores invidia majorum conservat, verum belli tempore Juri fortioris parendum habent, saepeque de alieno dimicandum.

Montesq.

Bello, quod in Annalibus Europaeis Septennalis nomine insignitur jamjam erumpente, Saxonia ceu minor potentia, et viribus Status, et inter ambas belligeraturas gentes sita, in non modica versabatur anxietate. Quaestio salebrosa eorum vertebatur: Utri partium adhaerendum esset? utra ex parte minus periculum instaret? ea occasione quidam Saxonicus publicus minister vetus galicum adagium protulit: *De quel côté que je me tourne, je vois la ville la Livourne*; quocumque me verto. Liburnum video; latine dixisset: *Incido in Scyllam, volens vitare Charybdim* — hic profecto fuit status plenus anxietatis.

In iis rerum adjunctis Saxonia Borussiae neutri se parti addicendi animum declarabat, Fridericus II. non acceptabat, quippe magis ejus interfuit, Saxoniam hostili tractare ratione,

quam neutri addictae parti parcere, atque in his adjuuctis Saxonia sat diuturno tempore belli theatrum fuit; postmodum semper Borussiae partem secuta.

Erumpente nuperno Galliam inter et Borussia bello, Saxoniae aequae neutri se parti addicendi conatus erat, verum Borussia intercessit solennibus inter utramque aulam Tractatibus, bellum in alieno territorio gerendi causa, Saxonia belli socia esse debuit, Juri fortioris parere, pro alieno dimicare usque, dum proelio Jenensi nexu hoc explicita, paceque novissima libertati et independentiae restituta.

Non absimilis hodie Daniae ratio est; Constat hanc Statuum mari Balthico adsitorum praecipuum esse; maritimae ejus vires tam in Anglis, quam Gallis desiderium eliciendo sunt, eas in rem suam vertendi; Universalis Ephemeris nuper admodum indicabat expeditionem Ducis Jaksonii opinione niti; non modo portus Russicos Anglis oclusum iri, verum evicti etiam jam argumenti fore: Daniae foedus cum Gallia pepigisse; quindena Danorum millia juncta cum totidem Gallorum millibus excursionem in Hyberniam suscepturos; fides salutem adfert secundum verum adagium germanicum: verum apud Anglos fides salutem non adfert quod Danos periculo exponat; ut ab Anglis hostilia experiantur, navibusque suis exuantur.

Facile menti illucet; in quam salebroso Dania statu sit; cum conspicuam potentiam na-

valem habeat; si Anglis adhaereret, hostiliter in Penninsula Jutia adversos Gallos agendum ei esset, et ut hoc fieri posset?

At non indagando in fidem, cui Jakson hostilem agendi rationem superstruere conatur, secretum Conclava Anglicanum alia praeterea animo fovere videtur consilia; utpotest universalem, adeo gravem in mari dominatum, firmandi; et quibus nam mediis? quasvis vires maritimas, quae uspiam eniti possent, supprimendo; Danicas naves suis viribus maritimis adjungere, justa vel injusta ratione parat, eas adprehendere, sui juris facere, ut uno maritimo Statu in Europa minus sit; votum habet: omnes status impotentes reddendi, ne naves bellicas habeant, ut hac ratione sua in alto dominari, saevumque Neptuni tridentem in manu tenere et retinere valeat; pacti argumentum esse potest: Anglos occupata aut deleta Danica Classe, sedato animo domum repetituros esse.

Anglicis paginis de 14. continentur sequentia: Quotidie ferme naves vectoriae copiis onustae, et adparatu bellico ad magnam Classem in Sundico expediuntur; Diarium Ministeriale: *Sundicum* de hac expeditione haec refert: Nequaquam id nobis arrogamus: quasi de argumento Expeditionis edocti essemus credendi nihilominus rationem habemus: Ducibus ejus Supremis per datam iis instructionem admodum amplam potestatem rerum gerendarum tributam fuisse, quoniam iis creditae operationes ad certum gradum ab adjun-

quam neutri addictae parti parcere, atque in his adjuuctis Saxonis sat diuturno tempore belli theatrum fuit; postmodum semper Borussiae partem secuta.

Erumpente nuperno Galliam inter et Borussia bello, Saxoniae aequae neutri se parti addicendi conatus erat, verum Borussia intercessit solennibus inter utramque aulam Tractatibus, bellum in alieno territorio gerendi causa, Saxonia belli socia esse debuit, Juri fortioris parere, pro alieno dimicare usque, dum proelio Jenensi nexu hoc explicita, paceque novissima libertati et independentiae restituta.

Non absimilis hodie Daniae ratio est; Constat hanc Statuum mari Balthico adsitorum praecipuum esse; maritimae ejus vires tam in Anglis, quam Gallis desiderium eliciendo sunt, eas in rem suam vertendi; Universalis Ephemericus nuper admodum indicabat expeditionem Ducis Jaksonii opinione niti; non modo portus Russicos Anglis oclusum iri, verum evicti etiam jam argumenti fore: Daniae foedus cum Gallia pepigisse; quindena Danorum millia juncta cum totidem Gallorum millibus excursionem in Hyberniam suscepturos; fides salutem adfert secundum vetus adagium germanicum: verum apud Anglos fides salutem non adfert quod Danos periculo exponat; ut ab Anglis hostilia experiantur, navibusque suis exuantur.

Facile menti illucet; in quam salebroso Dania statu sit; cum conspicuam potentiam na-

valem habeat; si Anglis adhaereret, hostiliter in Peninsula Jutia adversos Gallos agendum ei esset, et ut hoc fieri posset?

At non indagando in fidem, cui Jakson hostilem agendi rationem superstruere conatur, secretum Conclave Anglicanum alia praeterea animo fovere videtur consilia; utpotest universalem, adeo gravem in mari dominatum, firmandi; et quibus nam mediis? quasvis vires maritimas, quae uspiam eniti possent, supprimendo; Danicas naves suis viribus maritimis adjungere, justa vel injusta ratione parat, eas adprehendere, sui juris facere, ut uno maritimo Statu in Europa minus sit; votum habet: omnes status impotentes reddendi, ne naves bellicas habeant, ut hac ratione sua in alto dominari, saevumque Neptuni tridentem in manu tenere et retinere valeat; pacti argumentum esse potest: Anglos occupata aut deleta Danica Classe, sedato animo domum repetituros esse.

Anglicis paginis de 14. continentur sequentia: Quotidie ferme naves vectoriae copiis onustae, et adparatu bellico ad magnam Classem in Sundico expediuntur; Diarium Ministeriale: *Sundicum* de hac expeditione haec refert: Nequaquam id nobis arrogamus: quasi de argumento Expeditionis edocti essemus credendi nihilominus rationem habemus: Ducibus ejus Supremis per datam iis instructionem admodum amplam potestatem rerum gendarum tributam fuisse, quoniam iis creditae operationes ad certum gradum ab adjun-

ctis dependere possunt; Ut ut sit, super argumento certe opinionum diversitas locum habere nequit, super eo videlicet: in hodiernis Europae borealis adjunctis nobis rem gravissimi momenti esse, conspicuam Classem in mari Balthico habere; nec enim prospicere ulla ratione possumus: an eventus secuturi non sint, qui necessitatem nobis imposituri, nostras eorum vires deducendi, ut Selandiam Insulam, Danicamque in ditione habeamus rem maritimam; quod si adjuncta hanc agendi svadeant retionem, argumentis gravissimis adducimur ad contendendum: vires nostras in mari Balthico vice plus simplici obtinendo huic fini pares esse.

Publicae Syngraphae ex aliquot diebus duobus a Centum valore auctae sunt; quod valoris augmentum in parte pacis prospectibus tribuitur.

Interim Anglorum dena aut duodena milia Selandiam adpulere; Danicæ et Hamburgenses litterae extollunt alacritatem et promptitudinem populi Danici in resistendo; at Angli Hafniam ex parte maritima impetere possunt. Die 21. h. m. quidam remex Lubeca adpulit, qui deditiois pactum Hafniam ini-visse asseverabat; id genus nunciorum nauticorum quamquam non semper fide integra polleat, metum tamen probabilitatis hujus facti post se relinquit.

Die 17. *Augusti*. Hafniæ sequentis tenoris *Proclamatio* edita est, Cives! Alterum est, quod Anglicanum regimen Juragentium violet, no-

stram quietem intervertat; alterum est: quod
 caram metropolim nostram maxima cum per-
 fidia Anglicana obrui Classe intueamur; ho-
 stes nostri ad finem suum id momentum tem-
 poris elegere, quo commilitiones nostri adtran-
 quilltatem patriæ circa Albim servandam,
 avocati, absunt; verum in iudicio nostrarum
 virium, iisque utendi rationis atque mediis
 nos defendendi aberravere, immemores: Mag-
 ni Friderici mapes nobis inesse, nosque ani-
 mare; Cives! mihi provincia credita est, vo-
 biscum excubandi, vobiscum pro focus et ho-
 more dimicandi. Cum intimo voluptatis sensu
 testis sum ardentis in patriam amoris vestri,
 durantisque alacritatis; his dotibus decori ex-
 citandi haudquaquam sunt, planeque animo
 persvasum habeo; ab optimo Coronæ prin-
 cipe, ubi in medium nostri concesserit, nos
 agnitum iri. Datum in Castro portus Friderici-
 ani die 17. Aug. 1807.

Peymann.

Parisiis die 23. Aug. Ex hesterno vespere
 Rex et Regina Hollandiæ hic expectatur; Spes:
 Pro Regem quoque Italiæ cum Coniuge apud
 nos excipiendi, impleta non est; iu novis Ger-
 manicis legitur, (ita ait hujas pagina publi-
 ca) 4a hujus Anglicanum legatum Caletum
 adpulisse, hoc nuucium falsum est, relationes
 Caletum usque 13. de hoc nequidquam memo-
 rant. Publicæ quinque procentuali securitate
 provisæ Syngraphæ, in valore 90 $\frac{1}{2}$ Fr. consti-
 terunt.

Ephemerides Vindobonenses de 22. Aug. Sequentia de Turcia recensent: prælium navale inter Classis Turcicæ Præfectum, et Russicum Pro Admiralem *Siniavin* Calendis Julii inter *Lemnum* et *montem sanctum* commissum est; duravitque summa cum pertinacia ultra octo horas, exitu pro Russis victoriosissimo; qui 22 naves, in quibus densæ de linea censebantur, Turcæ contra 12 lineales; in summa duodeviginti naves numerabant. Ex his perisse dicuntur 1200 viri, quibus Pro Admiralis non continetur, etenim in captivitatem incidit, navisque, quam incolebat *Capitana* nuncupata occupata; Magnus Admiralis *Seid Aly* (qui in manu sauciatus) maximo ardore pugnavit, vergentisque proelio quinque navibus Russicis cinctus est, nihilominus eventus conatui respondit: venustam, qua continebatur, trium contiginationum navem 110 tormentorum, penitus jam globis perforatam, cujusque principem malum ineunte statim pugna igneus globus diffiderat; fune, qui trahabatur, pedetentim *Imbros* reducendi. Quatuor magnæ molis naves adprehensæ; tres aliæ exustæ, binæ aliæ scopulis allisæ; Contra Admiralis *Scheremet*, mox exacto proelio cum tribus suis agminis Centurionibus capitis damnatus, quod debito flagrante pugna munere non defunctus esset, quod invidiæ, periti hujus navalis militis, quam ex subita *Seid Aly* (qui admodum nuper ex Algeria in Turcica stipendia concesserat) ad dignitatem Supremi navalis Præfecti, promotione contraxerat, tribuitur.

Alterationes inter incolas Philipopolios et Rudschuk perdurant, majoremque in dies attentionem excitant; ipsa Magni Vezirii exercitus vicinia exulceratos animos continendo impar fuit.

Ex quo Sacrorum Muhametanorum antistes restitutus, amor quoque pacis concordiae et disciplinae in Janitsaris postliminio revertitur. Ipsi unum turbulentissimorum e factiosis, Praefectum arcium circa Bosphorum creatum *Kavaghi Mustapham* inter acres ininas per Eunuchum *Saimenem* adhortati sunt, ut usurpationibus suis modum ponat; hic ipse est, qui adversus potiora Copiarum suarum vota, auctor dimissionis *Kiimakani*, et attentatae exauctorationis Sacrorum Antistitis extitit.

Die 19. Julii Gallicus Caesareus Colonelus *Sorbier*, in comitatu Turcici Praefecti militaris exercitum magni Vezirii petit, conditiones Induciarum Russos inter Turcas executioni daturus.

Gallia.

Paris 24. Aug. (Ex Monit.) Sabbatho utpote 22. h. m. 8. Vespertina Solennia Subscriptionis pactorum nuptialium civilisque Conjunctionis in palatio *Diannae* locum habuere; in quod Majestates, in maximo adparatu aulico se contulerunt, ubi solio insedissent, iis adstant Regii sponsi, postquam Supr. Ceremoniarum Magister jussum Imperatoris percepisset, D. *Regnaud* a Secretis Caesareae domus Instrumentum Sponsalium legebat, cui ambae Majestates, excelsae contrahentes partes, principes utriusque Sexus de familia, Princeps Primas

Principes Archi Officiales et testes nomina subscribebant. Testes ex parte aulae gallicanae erant: Seren. Princeps Borghese, Caesareus Princeps M. Dux Montis, Princeps Neocom. Pro Connetabilis; ex parte aulae Vittembergicae, hereditarius M. Dux Badensis, Princeps Nassov. et C. Winzingerode Minister Status Regis Vittenberg. Postmodum Princeps Imperii Archi Cancellarius, petito excelsarum partium consensu, solennia Civis Junctionis verba praelegit. Liber publicus Majestatibus praesentabatur, quae cum excelsis partibus contrahentibus, Principibus Domus V. S. Principe Primae, Archi Officialibus et testibus nomina inscribebant, M. Ceremoniarum Magistro eadem, qua in subscriptione pactorum nuptialium factum, ratione moderante.

Hestemi 9. vesperè Solennis Copulatio in Sacello aulico peracta est; suae Majestates cum aulico comitatu et Principibus Sacellum petebant, in cujus vestibulo per Emin. Principem Primatem aqua lustrali exceptae, postq. sing. loca occupassent, Princeps Primas consveto ritu conjunxit excelsos Sponso, assistente Episcopo Gandav & Caesareo Elemosinario; tum excelsi conjuges per Majestates eodem ordine reducti, transitum postea ad palatium Mareschalatus ad excipendos concentus musicos et saltum ludicrum; dein acroasis instituta, postea conjuges per Majestates Cubili suo introducti. Faustis exultantis turbae vocibus omnia personabant; hortus palatio adnexus multitudinetripudiantis populi redundabat erumpens circiter 8 horam procella ignes festivos, qui adparabantur, quidem, exultantis vero undique populi adplausus prohibere non potuit.

Heri matutina 9. Imperator solio insidens, frequentes Collegii legum ferendarum et Tribunatus, utriusque Collegii Decreta adferentes, Deputatos excepit.